



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. Quisnam possit a Censuris absolvere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

quidem sine alia absolutione, ut docent Covarr. in *Cap. Alma mater*, part. 1. §. 2. Avila, Pal., Leand. disp. 2. quæst. 5., & alii communiter. Ratio est, quia in tali casu, ut bene notat Suar. num. 12., non tollitur censura sine prævia absolutione, eo quod a ferente censuram simul cum censura detur absolutio ab illa sub ea conditione de futuro, donec satisfeceris; qua conditione purificata statim absolutio sortitur effectum suum: Sicut enim censura per legem, aut per generalem sententiam fertur sub conditione, quod tale peccatum commiseris, & eo commissio statim incurritur; ita absolutio data sub conditione, quod satisfeceris, posita satisfactione, habet effectum suum. Unde fit, nullam omnino censuram sine absolutione tolli, si valida fuerit; Quod si fuerit nulla, & vera reputetur, satis est declaratio nullitatis, ut ea tollatur, seu potius ut intelligatur numquam fuisse talem censuram. Advertit tamen Bonac. quæst. 3. punct. 9., hæc verba, *Sis excommunicatus, donec satisfeceris*, aliquando significare, quod excommunicatus non possit absolvi, nisi post satisfactionem; in quo casu posita satisfactione, procul dubio requiritur nova absolutio; & ea est praxis Ecclesiæ, ut post satisfactionem absolvetur, qui sic est excommunicatus.

ARTICULUS II.

Quisnam possit a Censuris absolvere?

- I. *Censura lata per statutum alicujus Diocesis, vel Provinciae comprehenduntur sub censuris latis a Jure.*
- II. *Universim a censuris non reservatis absolvere potest, qui jurisdictionem erga censuratos habet pro foro externo.*
- III. *Parochus, & alii Sacerdotes, qui possunt a mortalibus absolvere, so-*

lum ex delegatione juris absolvere possunt a censuris non reservatis.

- IV. *Habens facultatem absolvendi a mortalibus reservatis potest absolvere etiam a censuris reservatis quoad casus Pontificios, non vero quoad Episcopales.*
- V. *Probabiliter simplex Sacerdos potest ab excommunicatione minore absolvere, etiam extra confessionem sacramentalem.*
- VI. *A censuris Juris reservatis absolvere potest, qui eas reservavit, aut ejus Successor, vel Superior, ac Delegatus; & in multis casibus alii.*
- VII. *Mendicantes non possunt absolvere a casibus Episcopo in tabella reservatis; possunt tamen a reservatis in Synodo; ac ab iis, quos jus commune Episcopo reservat.*
- VIII. *Quando absolutio conferenda est satisfacta parte, quam satisfactio est præmittenda? Et an valide conferatur, parte nondum satisfacta?*
- IX. *A censura lata ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, si non sit reservata, quilibet Confessarius absolvere potest.*
- X. *A censura lata ab homine per sententiam sive specialem, sive generalem pro peccatis præteritis quinam, & quomodo absolvere possit?*
- XI. *Quid si excommunicatus ab Episcopo domicilium mutet, aut Religionem ingrediatur?*

I. **Q**uoniam censuræ aliæ sunt latæ a Jure, aliæ ab homine, aliæ reservatæ, aliæ non reservatæ, de singulis quærendum, a quonam absolvi possint? Notando interim, censuras latis per statutum comprehenduntur sub censuris a Jure, quia statutum, licet non sit jus universale, est tamen jus particulare Diocesis, vel Provinciae, ut bene Suar. disp. 7. sect. 3.

II. Quæ-

II. Queritur itaque primo; Quisnam possit absolvere a censuris juris non reservatis?

Respondeo, quod possint ab iis suis subditos absolvere omnes illi, qui in foro externo habent jurisdictionem erga illos, ut sunt Episcopus, Abbates, Prælati regulares, &c. Ita Navar., Henr., & alii communiter apud Pal., ex *Cap. Nuper, de Sententia excommunicat.*

III. Dubium est, an Parochi, & alii Sacerdotes, qui possunt a mortalibus absolvere, possint pariter absolvere a prædictis censuris?

Respondeo, Gloss. in *Cap. Si Episcopus, de poenit., & remis.*, Riccard. in 4. dist. 18., Sayr., & alios negare; quia sicut ad ferendam, ita ad auferendam censuram videtur requiri jurisdictionem in foro externo, quam Parochus, & alii Sacerdotes non habent. Sed quamvis hæc sententia negativa sit communior, contra quamplures relate ad absolutionem a suspensione, & interdictione, ut suo loco dicemus: At relate ad absolutionem ab excommunicatione, communior sententia affirmat, cum Suar. disp. 7. sect. 3. D. Th., Pal., & aliis, ex *Cap. Nuper, de Sententia excommunicationis*, ubi dicitur: *Quando conditor Canonis specialiter absolutionem sibi non reservavit, eo ipso aliis videtur facultatem concessisse relaxandi.* Præterea Benedictus XI. in *Extravag., de Privileg. 5. Observent*, ait: *Inconveniens existimamus, ut a peccato absolvat, qui excommunicationem, qua infligitur, maxime a jure, remove non potest; ergo quilibet Confessarius potest absolvere ab excommunicatione juris non reservata.* Immo Bonac. quæst. 3. punct. 2. docet, idem etiam dicendum de absolutione a suspensione, & interdictione. Nam ex Suar. disp. 38. sect. 2., qui habet facultatem absolvendi a mortalibus, potest etiam absolvere ab interdictione personali spe-

ciali non reservato, quamvis non possit a locali, aut generali personali, cum ad hoc requiratur jurisdictionem in foro externo. Adde, eam esse præxim Ecclesiæ, ut absolventes a mortalibus absolvant prius non solum ab omni vinculo excommunicationis, sed etiam suspensionis, & interdictionis.

Ad rationem tamen in contrarium respondetur, quod quamvis Parochus, & alii Sacerdotes, qui possunt a mortalibus absolvere, non habeant vim muneris jurisdictionem in foro externo, atque adeo nec potestatem ad absolvendum a censura, habent tamen hanc potestatem ex delegatione juris.

IV. Neque dicas: Si verum esset, quod qui potest a mortalibus, polleat consequenter a censuris juris non reservatis absolvere, sequeretur primo, quod qui habet facultatem absolvendi a mortalibus reservatis, haberet pariter facultatem absolvendi a censuris reservatis.

Secundo, quod simplex Sacerdos, qui potest a venialibus, possit etiam absolvere ab excommunicatione minore, quæ propter veniale incurritur.

Nam respondeo cum Suar. loc. cit. concedendo primam sequelam quoad casus Pontificios; quia Pontifex non solet reservare casus, nisi ratione censuræ; atque adeo non aliter dat facultatem absolvendi a peccatis sibi reservatis, quam dando facultatem absolvendi a censuris sibi reservatis. Negatur tamen prima sequela quoad casus Episcopales; quia solent Episcopi reservare sibi aliquos casus sine censura; unde qui habet solum facultatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis sine censura, non proinde habet facultatem absolvendi ab aliis censuris, & peccatis reservatis.

V. Ad secundam sequelam respondeo a multis negari, præsertim a Cajet., Ugolin., & aliis apud Suar. loc. cit., & Pal. disp. 2. punct. 21. cum Avila, Vafq.

Vasq. & aliis. Et ratio est, quia quamvis non possit quis absolvi Sacramentaliter a venialibus licite, non præmissa absolutione ab excommunicatione minori; at possunt venialia aliter, quam per Sacramentum pœnitentiæ tolli; unde non fuit opus, ut cui concederetur facultas absolvendi Sacramentaliter a venialibus, concederetur pariter facultas absolvendi ab excommunicatione minore: Quod tamen dici non potest de mortalibus, quæ unice tolli possunt per Sacramentum sive in re, sive in voto susceptum; atque adeo qui potest a mortalibus absolvere, debet posse pariter absolvere a censuris juris non reservatis; cum talis absolutio per se prærequiratur ad mortaliam absolutionem.

Verum quamvis hæc sententia negativa sit probabilior, adhuc tamen est probabilis sententia affirmativa docens, a simplici Sacerdote posse conferri absolutionem ab excommunicatione minore, etiam extra confessionem; & etiam illi, qui habet mortalia; immo qui cum mortali excommunicationem minorem incurrerit; Ita Navar., Tolet., & Tabien., & alii cum Hart. disp. 26. de Excomm. diff. 2., ut dicemus quæst. 3. art. 3. Et ratio est, quia cum excommunicatio minor non exigat peccatum mortale, ut incurratur, consequenter neque exigit, ut habeat facultatem absolvendi a mortalibus, qui potest ab ea absolvere.

VI. Quæritur secundo; Quisnam possit absolvere a censuris juris reservatis?

Respondeo, quod ab iis non possit absolvere, nisi qui illas sibi reservavit, aut ejus successor, aut Superior, aut Delegatus. Ita communiter, ex Cap. Nuper, de Sententia excommunicat. Sunt autem multi casus, in quibus conditor Canonis facultatem hanc absolvendi aliis concedit.

Par. VIII.

Primo in cap. Mulieres, de sententia excommunicat. in 6. committitur Episcopis, ut possint absolvere tam mulieres, quam impuberes ab excommunicatione lata per Canonem, Si quis suadente: & in cap. Monachi ibidem, etiam conceditur, ut Abbates, & alii Prælati regulares possint absolvere religiosos subditos, qui se mutuo percusserint; sicut etiam Clerici ejusdem Cleri, qui se mutuo percutiunt, possunt a suo Episcopo absolvi.

Secundo in Trident. sess. 24. cap. 6. conceditur Episcopis facultas absolvendi subditos in sua Diœcesi ab omnibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis in foro conscientie tantum.

Tertio per Bullam Cruciatæ quilibet Sacerdos ab Ordinario approbatus potest absolvere a reservatis, etiam in Bulla Cœnæ semel in vita, & semel in morte, absque onere comparandi apud Superiorem, si convalescat, ut notat Pal. disp. 1. punct. 2.

Quarto ex cap. Quamvis, de sententia excommunicat. potest Episcopus absolvere quoslibet legitime impeditos adire Pontificem cum onere comparandi saltem per procuratorem cessante impedimento sub pœna reincidentie; Sicut etiam quilibet Sacerdos potest in articulo mortis absolvere a quibusvis peccatis, & censuris reservatis cum eodem onere; si tamen censuratus sit publice denunciatus.

Demum Mendicantibus, & aliis, qui cum iis communicant in privilegiis conceditur, ut possint absolvere ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, ut docent communius contra nonnullos apud Pellizzar. tract. 8. cap. 3. num. 80., & apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 13., exceptis casibus Bullæ Cœnæ, & sex Clem. VIII. in Italia extra Urbem, qui sunt Violatio Clausura Monialium ad ma-

G lum

lum finem, Percussio Clerici, Simonia realis, Confidentia beneficalis, Provocatio, & pugna duellistica, & Violatio immunitatis Ecclesiasticae.

Advertendum tamen ex Suar. disp. 7. sect. 5. circa delegationem huiusmodi facultatis primo, quod cui conceditur indulgentia plenaria, etiam per modum jubilaei, non proinde censetur concessa facultas absolvendi a reservatis; (quicquid contradicant Grafis, Peyrin., Escob., Rodriq., Vega, Filliuc., Bossi., & alii apud Dian. part. 10. tract. 16. resol. 1.) quia ista duo privilegia sunt inter se longe diversa, & unum non trahit aliud, ut ostendimus in Opusculo de Jubilaeo quaest. 1.

Secundo, Is, cui conceditur facultas absolvendi a casibus Papae reservatis, potest etiam absolvere a censuris eidem reservatis; quia, ut modo diximus, peccata solum ratione censurae reservantur Papae: Contra vero, quia multi casus reservantur Episcopis sine censura, cui conceditur facultas absolvendi a casibus Episcopo reservatis, non proinde conceditur facultas absolvendi a censuris reservatis; ut docet Bonac. cum Navar., Suar., Sanch.

Tertio per concessionem facultatis absolvendi a censuris Papae reservatis intelliguntur etiam censurae reservatae Episcopis; quamvis id negent Navar. in Summ. cap. 22. n. 261., Bonac., & alii. Ratio, quam adducit Suarez num. 14., est; tum quia hoc fert consuetudo, quae est optima legum interpretis; tum etiam quia Pontifex per dictam concessionem dat facultatem absolvendi ab omnibus censuris, a quibus ipse potest absolvere; sed ipse potest absolvere etiam ab Episcopalibus; ergo concedendo facultatem absolvendi a censuris Papalibus, concedit etiam ab Episcopalibus.

VII. Verum tamen est, quod Men-

dicantes ex speciali Bulla non possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, quamvis possint absolvere ab omnibus Papalibus: & ideo damnata est ab Alex. VII. prop. 12. dicens: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obrita ad id Episcoporum facultate.* Quia tamen datur triplex genus casuum Episcopo reservatorum, primum eorum, qui ex consuetudine, vel iure Episcopo reservantur, ut Percussio levis Clerici, &c., & hi possunt a Mendicantibus absolvi; ut ostendimus in Trutina, exponendo Thesim duodecimam ab Alex. VII. confixam; Siquidem solum prohibetur regularibus, ne absolvant a casibus, quos ipsi sibi reservant, non vero a casibus a iure communi, vel consuetudine Episcopis reservatis. Ita Averf., Lezan., & alii plurimi apud Dian. part. 8. tract. 7. resol. 71., & apud Thomam Hurt. tom. 1. tract. 5. ref. 17. Notatque Suar. de poenit. disp. 29. sect. 3. quod casus huiusmodi non dicuntur Episcopo reservati, sed delegati. Secundum genus est eorum casuum, qui in Synodo reservantur; & de his docere communius contra nonnullos, quos in loc. laud. Trutinæ retulimus, cessare reservationem per hoc, quod ab Episcopo non exponantur in tabella; quia *Non expressum habetur pro omisso.* ex pluribus legibus Civilibus, & Canonicis. Tertium genus est eorum, qui exponuntur in tabella, & de his loquitur propositio damnata ab Alex. VII., ut constat ex dictis.

Quarto per concessionem absolvendi ab omnibus censuris non solum intelligitur concessa facultas absolvendi ab omni specie censurarum, videlicet ab excommunicatione, suspensione, interdicto, sed etiam a censuris reservatis. Ita Bonac., Azor., & Sa contra Suar. disp. 7. sect. 5. Ratio est, quia quilibet Sacerdos potest absol-

vere a censuris non reservatis; ergo in casu nostro, ne privilegium sit inutile, debet posse absolvere etiam a censuris reservatis.

Quinto per concessionem absolventi ab omnibus reservatis Sedi Apostolicæ non intelliguntur comprehensif casus Bullæ Cænæ; sicut nec per concessionem absolventi a reservatis in Bulla Cænæ intelligitur data facultas absolventi ab hæresi; quamvis probabile sit oppositum, quod docet Jacobus de Grattis de hæretico occulto. Ratio horum omnium est, quia ex reg. 81. juris in 6. habetur, quod *In generali concessione non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

VIII. Sexto demum, quando facultas absolventi a censuris datur sub ea limitatione, videlicet satisfacta parte, sensus est, si sit opus satisfactione partis; quod si non sit opus, potest procul dubio conferri absolutio absque ulla satisfactione. Nomine autem partis, cui satisfaciendum est, non venit Prælatus præcipiens, vel excommunicans, sed tertia persona, quæ sit offensa aut in honore, aut in fama, aut in aliis bonis. Ratio est, quia offensus Judicis est generalis, & habetur, quotiescumque contrahitur qualibet censura: Sicut etiam in omni censura requiritur obedientia, vel cautio parendi Ecclesiæ; ergo quod specialiter requiritur in delictis exigentibus satisfactionem partis est restitutio honoris, vel famæ, vel rei familiaris tertiæ personæ offensæ.

Notandum tamen ex Avila 2. part. cap. 7. disp. 3. dub. 12., & aliis, quod quando vi Jubilæi excommunicatus denunciatus absolvi potest satisfacta parte, tunc non satis est, quod satisfiat personæ læsæ, sed debet etiam satisfieri Ecclesiæ læsæ, per hoc quod excommunicatus præsentet se, ac se humiliet Judici, qui Cedulones

allixit, ut illi rationabiliter post absolutionem tollantur: Aliter enim absolutio cederet in contemptum Judicis, & Jurisdictionis exterioris.

Dubatur; Sitne valida absolutio, quæ datur parte nondum satisfacta?

Respondeo cum Hurt. disp. 14. de excommunicat. diff. 5., & aliis communiter, quod si præmitti non possit absque gravi incommodo satisfactio partis, & absolutio per longum tempus differenda esset, possit absolutio non solum valide, sed etiam licite conferri parte nondum satisfacta; præstando tamen cautionem pignoratitiam, aut saltem fidejussoriam, aut ad minimum juratoriam de satisfaciendo, cum primum poterit.

Ratio est, quia non est credibile, Pontificem velle conditionem moraliter impossibilem; sicut nec est credibile, ut notat ex Navar. Suar. num. 45., velle Pontificem obligare ad satisfactionem exhibendam, quando debitum satisfactionis est dubium; sed ad summum tunc pro qualitate dubii deberet ad arbitrium prudentis viri satisfactio præstari.

Quod si satisfactio præmitti possit absque gravi damno, immo etiam si absque levi, & de facto ea non præmitteretur, certe absolutio collata esset injusta, non tamen esset invalida, non solum si conferatur ab Ordinario, vel a generaliter delegato, sed etiam si conferatur ex privilegio, seu ex commissione particulari; dummodo in dicta commissione absolventi satisfacta parte, aut in privilegio non addatur formula expresse irritans absolutionem concessam parte nondum satisfacta. Ita Avil., Sanch., & alii apud Hurt. loc. cit. contra Suar., & Vasq. Ratio est, quia illa verba, satisfacta parte, tantum monent delegatum de obligatione juris communis; unde si delegatus non præstet hoc, ad quod obligatur, videlicet si

fatisfactionem parti non curet praemitteri, illicite absolvet, sed non invalide; non secus ac ipse Ordinarius; Quod communiter docent.

IX. Queritur tertio; Quinam possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, quando, verbi gratia, excommunicantur omnes, qui furabuntur in templo?

Respondeo, probabile esse, quod possint etiam ab iis absolvere omnes illi, qui possunt absolvere a censuris juris non reservatis, seu omnes ii, qui possunt a mortalibus absolvere. Ita Bonac. quaest. 3. punct. 1., Suar. num. 23., Filliuc. hic cap. 9., Pal., Con. dub. 16.; quanvis multi alii Doctores probabilius censeant, illos dumtaxat absolvere posse, qui possunt absolvere a censuris latis ab homine per sententiam specialem; videlicet qui illas tulit, aut ejus successor, aut superior, aut delegatus, aut Judex appellationis, ut infra dicemus. Ratio conclusionis est, quia talis censura aequiparatur censuræ latae a jure; cum proprie non sit sententia, sed præceptum; ergo non debet sequi leges censuræ latae a Judice, sed censuræ latae a jure. Quare quando in cap. *Nuper, de sententia excommunicationis* dicitur absolutio a censura lata a jure pertinere ad Episcopum, vel Parochum, a censura vero lata a Judice pertinere ad eum, qui eam tulit, probabiliter sermo est de absolutione a censura lata a Judice per sententiam specialem pro peccatis præteritis, non vero de absolutione lata a Judice per sententiam generalem pro peccatis futuris, quæ potius habet vim præcepti, quam sententiæ. Quare si talis censura non sit reservata, absolvi poterit a quolibet Confessario; si vero sit reservata, absolvi poterit ab eo, qui eam reservavit, aut ab ejus successore, aut superiore, aut delega-

to; non secus ac diximus de censuris latis jure.

X. Queritur quarto; Quinam possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam sive specialem, sive generalem pro delicto præterito? Verbi gratia, si excommunicentur omnes, qui tale furtum commiserunt in tali Ecclesia; quæ censura dicitur lata per sententiam particularem, etiam si neminem nominet, quia respicit factum illud particulare, & determinatum.

Respondeo, quod extra mortis articulum possit ab iis absolvere, qui eas tulit, (nisi sit illi specialiter interdictum) vel ejus superior, vel successor in officio, vel delegatus, vel Judex appellationis. Ita communiter apud Pal.

Probatur per partes; Primo potest absolvere, qui eas tulit, ex cap. *Pastoralis, de Officio Ordinarii*; Et ratio est, quia cum potestas ferendi censuras concessa sit in salutem animarum, potius concessa est ad absolvendum, quam ad ligandum; ergo qui potest ligare, a fortiori potest absolvere. Dixi tamen, Nisi sit ei specialiter interdictum, quia in multis casibus qui censuram tulit, non potest deinde illam tollere. Primus casus est in cap. *Tua nos, de Sententia excommunicat.*, ubi dicitur, quod incendiarius ab Ordinario nominatim excommunicatus, & denunciatus ad Sedem Apostolicam remittendus sit. Secundus, quando qui sententiam tulit, mittit deinde jurisdictionem per excommunicationem, aut ex alio capite, ut patet. Tertius, quando alicui committitur actus ferendi aliquam censuram absque ulla cognitione causæ; in tali enim casu cum sit merus executor, qui fert censuram, nequit censuratum absolvere; secus vero si ei etiam cognitio causæ esset commissa, ut advertit Con. dub. 16. Quartus ex Cap.

Cap. *Quareni de Officio delegati* ubi dicitur, quod delegatus Sedis Apostolicæ excommunicatum a se, eo quod suæ definitivæ sententiæ parere noluerit, ab incurfa excommunicatione nequeat absolvi post annum elapsam; solumque intra spatium integri anni ab ea potest absolvi.

Secundo potest absolvi superior ejus, qui censuram tulit; dummodo non sit Superior dumtaxat dignitate, sed etiam jurisdictione, ut Papa relate ad omnes inferiores, Generalis relate ad Provinciales; non vero Archiepiscopus relate ad Episcopos, nisi dum actu visitat, vel in casu appellationis; tunc enim est superior jurisdictione, ex Cap. *Venerabilibus, de sententia excommunicationis in 6.* Nec legatus a latere relate ad iudices inferiores, nisi in casu appellationis, ut docet Laym. tract. 5. part. 1. cap. 7. Neque Episcopus relate ad Prælatos regulares: Quare Regularis excommunicatus a Prælato suo ex causa pertinente ad regularem disciplinam non potest ab Episcopo absolvi; (nisi forte non sit exemptus, & ad Episcopum ab injulta sententia proprii Prælati appellet, ut notat idem Laym.) poterit tamen a suo Provinciali, aut Generali absolvi; quia isti absolvendo nullam injuriam faciunt Prælato inferiori, cum utantur jure suo.

Adverte tamen, quod quamvis superior possit valide, non potest tamen licite absolvi censuratos ab Inferiori, nisi prius plenam satisfactionem exigat, & inferiorem Prælatum admoneat; ne scilicet hujus auctoritas exponatur contemptui, ut ex multis juribus docent apud eundem Laym.

Tertio potest absolvi successor ejus, qui censuram tulit, ut habetur in cap. *Si Episcopus 2. quest. 3.*; quia qui succedit in eodem munere, seu dignitate, censetur eadem persona cum prædecessore. Valet autem hoc

tam pro successore Judicis delegati, quam pro successore ad tempus; unde Capitulum, Sede vacante, quia ad tempus succedit Episcopo, potest per Vicarium capitularem absolvi excommunicatos ab Episcopo, ut habetur in Trident. sess. 24. cap. 16.

Quarto potest absolvi delegatus ab habente jurisdictionem ordinariam, ut habetur in cap. *Pastoralis, de Officio Ordinarii*; dummodo delegatus non sit jurisdictione privatus, quando debet delegatus absolvi, ut docent communiter Doctores; siquidem jurisdictione delegati non est alia, quam delegantis; Quare in articulo mortis ex delegatione juris potest quilibet Sacerdos a censuris absolvi; Et extra mortis articulum Superiores nostræ Societatis, & ex eorum speciali delegatione etiam alii absolvi possunt etiam externos excommunicatos ab homine generaliter in foro conscientie, non tamen nominatim excommunicatos, ut habetur in compendio privilegiorum V. *Absolutio*.

Quinto demum potest absolvi Judex appellationis; qui tamen, ut ea potestate legitime utatur, servare debet modum in jure præscriptum, videlicet ut non absolvat, nisi prius contiterit censuram fuisse iniuste latam; alioquin relinquere debet, quod absolutio conferatur a iudice, qui illam tulit, nisi vel sit periculum in mora, vel ille impendere eam nolit, ut Canonistæ docent.

Ubi etiam notandum, in casu appellationis posse absolutionem conferri etiam a iudice, a quo appellatum est, sive talis iudex sit ordinarius, (de quo est communis opinio) sive sit delegatus, ut putat Suar. disp. 7. sect. 2. cum aliis contra nonnullos, qui cum Sayr. docent, jurisdictionem delegati per appellationem cessare. Ratio est, quia iudex sive ordinarius, sive delegatus per appellationem fa-

Etiam

etiam Superiori non amittit suam jurisdictionem quoad ea, quae appellationi non obstant; atqui non obstat absolutio appellationi; cum propter absolutioem interponatur appellatio; ergo potest iudex, a quo appellatum est, etiam post appellationem absolvere.

XI. Infertur ex dictis primo, excommunicatum a proprio Episcopo, etiamsi domicilium mutet, non posse absolvi ab Episcopo, in cuius Diocesim domicilium transtulit, sed debere a priore Episcopo, vel ejus superiore, aut successore, aut delegato absolvi, si excommunicatio fuit specialis. Ita Doctores communiter, ex cap. *Proposuisi, de foro competenti* apud Con. dub. 16., & Suar. disp. 7. sect. 2. Ratio est, ne Judicium jurisdictio perturbetur, eorumve auctoritas contemnatur. Quod si excommunicatio lata fuerit per sententiam generalem, potest probabiliter absolvi ab alio Episcopo, in cuius Diocesim domicilium transtulit; immo etiam a Parrocho, atque adeo etiam a quolibet Confessario, qui possit absolvere a mortalibus, si censura non sit reservata, ut docet Laym. part. 1. cap. 7. ex citat. cap. *Nuper*.

Infertur secundo, quod si excommunicatus ab homine per sententiam generalem, vel per statutum Religionem ingrediatur, possit a Praelato Religionis absolvi: Contra vero si sit excommunicatus per sententiam specialem, secluso privilegio; nam ratione causa inchoata in tali casu jurisdictio maneret penes priorem Judicem, a quo fuit excommunicatus: Habetur enim regula generalis in cap. *Proposuisi, de foro competenti*, quod *Præventus a iudice forum ipsius in ea causa declinare non potest*.

Infertur tertio, quod si Advena Nolanus, exempli gratia, incurrat Neapoli excommunicationem latam

per sententiam specialem ratione delicti Neapoli commissi, non possit ab Episcopo Nolano, sed solum a Neapolitano absolvi; secus vero si excommunicationem latam per statutum incurreret.

Advertit hic Con. num. 259., quod si tam Episcopus, quam subditus excommunicatus exsiliant extra propriam Diocesim, possit Episcopus suum subditum absolvere; quia potest extra territorium exercere jurisdictionem voluntariam, seu gratiosam, quae fit sine strepitu judiciali, ut docent communiter cum Covarr.

Rogabis: Si excommunicatus per sententiam specialem non possit ex legitimo impedimento adire latorem censuræ, & paratus sit debitam satisfactionem præstare, poteritne ab alio aequali, vel ab inferiore Iudice absolvi?

Respondeo, ex cap. *Quamvis, de Sententia excommunicationis* affirmative; dummodo det prius juramentum, quod, quamprimum poterit, ei se presentabit, cui de jure absolutio competeat.

ARTICULUS III.

Quot modis absolutio a Censura conferri possit?

- I. *Absolutio a censuris dari potest vel conditionate, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam.*
- II. *Cur censura ferri possit sub conditione de futuro, non tamen absolutio a censura regulariter?*
- III. *Num sine nova culpa possit aliquis in priorem excommunicationem reincidere?*
- IV. *Qui tenetur adire Pontificem pro absoluteione, si impedimento laboret, poterit adire per Procuratorem, vel per Epistolam, sed ad id non obligatur.*

V. Ab-